[va]sa sacra domini que transtulit nabuchodono-
sor ex ierusalem. et consecravit ea in suo
ydolo. Et proferens cyrus ea rex persarum.
tradidit mitridato qui erat super
thesauros ipsius. Per hunc autem tradita
sunt salmanasaro presidi iudee. Ho-
rum autem hic numerus erat. Libatoria
argentea duo milia quadringenta.
athisce argentee .xxx. phiale auree
xxx. Item argentee duo milia quadringente.
et alia vasa mille. Omnia autem vasa au-
rea et argentea .iiii. milia .cccc.lxv
iii. Et evacuata sunt salmanasaro.
simul cum his que ex captivitate ba-
bylonie in ierosolima. VII

In artaxersis autem regis persarum tem-
poribus scripserunt ei de his qui habita-
bant in iudea et ierusalem. balsamus et mit-
dratus et sabellius et rathimus. balte-
mus et samelius scriba et reliqui inha-
bitantes in samaria et ceteris locis. sub-
iectam epistolam regi artaxersi. Domine
pueri tui rathimus abaccitentibus et sabe-
llius scriba. et reliqui curie tue iudi-
ces in celesiria et fenice. Et nunc notum
sit domino regi. quoniam iudei qui ascenderunt
a vobis ad nos. venientes in ierusalem civi-
tatem refugam et pessimam. edificant
fora eius. et statuunt muros. et templum
suscitant. Quod si civitas ista et muri
consummati fuerint. tributa non sustinebunt
pendere. sed etiam regibus resistent. Et quo-
niam agitur circa templum. recte habere arbi-
trati sumus non despicere hoc ipsum. Sed notum
facere domino regi. ut si videbitur regi quera-
tur in libris patrum tuorum. et invenies in ad-
monitionibus scripta de his. et scies quoniam
civitas ista fuit refuga. et reges et civi-
tates concutiens. et iudei refuge et prelia
committentes in ea ab eterno. ob quam causam
civitas ista deserta est. Nunc ergo notum
facimus domine rex. quoniam si civitas ista
edificata fuerit. et huius muri erecti fu-
erint. descensus tibi non erit in celesyri-
am et phenicem. VIII

Tunc rescripsit rex ratymo qui scribe-
bat accidentia. et beltimo. et sabellio scri-
be. et ceteris constitutis. et inhabitantibus in
siria phenice. et que subiecta sunt. Legi
epistolam quam misisti mihi. Precepi ergo inquiri
et inventum est. quoniam civitas illa est ab evo
regibus resistens. et homines refuge. et prelia
in ea efficientes. et reges fortissimi qui
erant in ierusalem dominantes. et tributa
exigentes a celesyria et phenice. Nunc
ergo precepi prohibere homines illos edifica-
re civitatem. et provideri ne quid ultra
fiant. sed nec procedant in plurimum. ex quibus sunt
malitie. ita ut regibus molestia importe-
tur. Tunc recitatis huius que a rege arta-
xerse scripta fuerant. ratimus et sabel-
lius scriba et qui cum huius constituti erant
iungentes festinanter venerunt in ierusalem
cum equitatu et turba et agmine. et cepe-
runt prohibere edificantes. Et vacabat
ab edificatione templi in ierusalem usque
secundo anno darii regis persarum. VIIII

Rex darius fecit cenam magnam omnibus verna-
culis suis. et omnibus magistratibus medie et
persis. et omnibus purpuratis. et pretoribus et consu-
libus. et prefectis sub illo. ab india usque ethi-
opiam .c.xxvii. provinciis. Et cum mandu-
cassent et bibissent. et satiati reversi essent.
tunc darius rex ascendit in cubiculo suo
et dormivit. et experrefactus est. Tunc illi tres
iuvenes corporis custodes qui custodie-
bant corpus regis. dixerunt alter alteri. Di-
camus unusquisque nostrum sermonem qui pre-
cellat. et cuicumque apparuerit sermo sapi-
entior alterius. dabit illi darius rex
dona magna. purpura cooperiri et in au-
ro bibere. et super aurum dormire. et currum
aureum freno. et cydarim byssinam. et torquem
auream circa collum. et secundo loco sedebit a da-
rio propter sapientiam suam. et cognatus darii
vocabitur. Tunc scribentes singuli sermonem su-
um signaverunt. et posuerunt subtus cervi-
cal darii regis. et dixerunt. Cum surre-
xerit rex. dabunt illi scripta sua. Et quem-
cumque iudicaverit rex et tres magistratus
persidis quoniam verbum eius sapientius est. ipsi
dabitur victoria sicut scriptum est. Unus
scripsit. Fortius est vinum. Alius scripsit. For-
tior est rex. Tercius scripsit. Fortiores sunt
mulieres. super omnia autem vincit veritas.
Et cum surrexisset rex. ceperunt scripta sua.